

prerogatiuam et libertatem, in qua conseruati fuissent per Sacram quoque olim Cesaream Regiamque Maiestatem preclare memorie Dominum et Genitorem nostrum colendissimum, per nos quoque clementer obseruari facere. Quorum supplicatione clementer exaudita et admissa. Quum nos pro suscepti regiminis nostri officio vniuersa iusta et legitima subditorum nostrorum Jura et libertates inuiolabiliter ab omnibus obseruari, nec quempiam in eis indebite ac illegitime turbari velimus: Fidelitati vestre et vestrum singulis harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis presentibus et rebus sic, vt prefertur, stantibus et se habentibus, memoratos Vicebanum, Protonotarium et Viceprotonotarium, nec non Vicecomitem et Judices Nobilium dicti Regni nostri Sclauonie in eorum, vt premissum est, antiqua consueta libertate et prerogatiua conseruare et per alios etiam, quorum interest, conseruari facere; nec vllum censum seu taxam, in publicis constitutionibus expressam, a colonis ipsorum honorum vbiunque in Regno nostro Sclauonie existencium, tam preterite, quam future taxe et census ratione exigere vel exigi facere debeatis et teneamini. Secus non facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii vigesima nona Julii Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo.

Maximilianus m. p.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Nicolaus Olahus Strigoniensis m. p.

Georgius Bochkay m. p.

Tenor Indorsationis:

1567. Feria sexta proxima post festum beati Matthaei Apostoli in Conuentu generali Regnorum Croatiae et Sclauoniae praesentes litterae exemptionales Caesareae et Regiae Maiestatis praesentatae et exhibitae sunt dominis Regnicolis. Conclusum est, vt obseruentur. Joannes Petricheulich, Viceprotonotarius Regni manu propria.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 134.